

616- Sostrata credit mihi me psaltriam hanc emisse; id anus mi  
17 indicium fecit.

nãm ut hinc forte ad obstetricem erat missa, ubi vidi, 10  
ilico

accedo, rogito Pamphilã quid agat, iam partus adsiet,  
620 eon obstetricem accersat. illa exclamat "abi abi iam,  
Aeschine,

sati' diũ dedisti verba, sat adhuc tua nos frustratast fides."  
"hem quid istuc obsecro" inquam "est?" "valeas, habeas  
illam quae placet."

sensi ilico id illas suspicari, sed me reprehendi tamen 15  
nequid de fratre garrulae illi dicerem ac fieret palam.

625 nunc quid faciam? dicam fratris esse hanc? quod minimest  
opus

usquam efferri. ac mitto: fieri potis est ut nequa exeat:  
ipsum id metuo ut credant. tot concurrunt veri similia:  
egomet rapui ipse, egomet solvi argentum, ad me abductast 20  
domum.

haec adeo mea culpa fateor fieri: non me hanc rem patri,  
630 utut erat gesta, indicasse. exorasse ut eam ducerem.  
cessatum usque adhuc est: iam porro, Aeschine, expergi-  
scere!

nunc hoc primumst: ad illas ibo ut purgem me; accedam  
ad fores.

perii! horresco semper ubi pultare hasce occipio miser. 25

